



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Antidota Apostolica contra nostri temporis hæreses**

In quibus Loca illa explicantur, quæ Hæreticj hodie (maximè Caluinus & Beza) vel ad sua placita stabilienda, vel ad Catholicæ Ecclesiæ dogmata infirmanda ...

In Epistolam B. Pauli ad Romanos

**Stapleton, Thomas**

**Antverpiæ, 1595**

Cap. XIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39447**

tale vnumquodque denominetur ac censeatur, qualem sibi finē præfixum habuit. Hinc

1. Cor. 13. Apostolus roties monet *vt omnia ad edificati-*  
 26. *nem, omnia ad Dei gloriam fiant.* Tot ergo mo-  
 1. Cor. 10. *dis plenitudo legis est dilectio; & qui diligit proxi-*  
 31. *mum (idem quippe & Deum diligit) totam le-*  
*gem impleuit: sanè quatenus eam in hac vita*  
*impleri necesse est.*

## CAP. XIII.

4. *Stabit autem: Potens est enim Deus statueré illum.*

Cal. dnali  
 en cordis  
 & lingue.

**V**ersipellis Calvinus paucis in hunc locum verbis duplici corde, & lingua utitur, volens & suis hæresibus consentaneum aliquid dicere, & apertam tamen ac liquidam veritatem non aspernari videri. Quod (inquit) Apostolus argumentatur à Dei potentia, non simpliciter id facit, ac si diceret posse id Deum facere si vellet, sed connectit Dei voluntatem cum potentia, more Scriptura. Hæc suis placitis consequenter Calvinus dixit. Quum enim certitudinem gratiæ perpetuam in omnibus semel per fidem iustificatis, & vnicam electorum fidem indelebilem ponat; perseverantiam in eisdem docere Apostolum vult, non quam Deus operari potest si velit, sed quam infallibiliter operabitur de facto; quia Dei voluntas cum sua potentia semper coniuncta est,



Et est, nec aliud posse facere dicendus est,  
 quàm quod de facto facturus sit. Ad hæc eius  
 profana, & impia, & absurdissima dogmata  
 aliquo modo stabilienda, hunc cōmentariū  
 adfert. Sed vide nunc vt in proximè subse-  
 quentibus verbis aliam cantilenam canat;  
 quæ astruxerat, destruat; & ipsam liquidam  
 atque apertam veritatem profiteatur. Neque  
 tamen (inquit) desinit hic aliquid perpetuum,  
 quasi necesse sit stare vsque in finem, quos semel  
 Deus crexit; sed tantum admonet vt bene speremus,  
 iudiciaque nostra in hanc partem inclinent: sicut  
 etiam alibi docet, Qui cepit in vobis bonum opus,  
 perficiet vsque in finem. Optimè hæc & orthodo-  
 xè dicuntur, ipsumque sententiæ Paulinæ  
 sensum exprimunt, qui id hoc loco agit, vt  
 infirmos in fide suscipiamus, vt fratrem nostrum,  
 seruum alienum, non iudicemus, sed Dei iudicio ac  
 bonitati eius aut casum aut perseverantiã re-  
 linquamus. Sed si hæc vera sunt, vt sunt ve-  
 rissima; cur prius negavit Apostolum à Dei  
 potentia simpliciter argumentari, videlicet  
 posse facere Deum vt perseveret in fide qui  
 iam in ea stat, si Deus velit, si Deus hac eum  
 gratia donauerit? Cur addit *Dei voluntatem*  
*cum sua potentia* Apostolum hoc loco connectere,  
 id est, docere Apostolum, Deū nō solum hoc  
 posse præstare, sed & velle? Nō alia de causa  
 illa falsa præmisit, quã vt suis antiquis pla-  
 citis aliquid consentaneum diceret, quia ex  
 abundantia cordis es loquutus. Vt autem illis  
 falsis

Caluius  
 ex seipso  
 refutat.



falsis hæc vera subijceret, suoque ore seipsum refutaret, Dei iusto iudicio factum videretur, qui *comprehendit sapientes in sua sapientia, & falsos Prophetas vertigine percutit, ut videntes non videant, non intelligentes neque quæ loquantur, neque de quibus affirmant.*

17. *Non est regnum Dei esca & potus.*

**C**Alvinus quidem & Beza, aliorum (vè videretur) reprehensionibus prudentiores facti, contra delectum ciborum in Ecclesia Catholica vsitatum ex his verbis nihil disputant. Temperare sibi tamen Augustinus Marloratus non potuit, quin ex alijs vetustioribus Protestantibus, Bullingero, Melanchthone, Hyperio, antiquam & solemnem sectariorum ex hoc loco cavillationem suæ expositioni ex multis confarcinatæ infereret. Quare ex Bullingero hæc verba profert: *Ex hoc loco cernere licet, quanta iniquitate & tyrannide regnent hodie, qui miseram plebem propter ciborum delectum, & carnem pecuinam interdiciis ab homine diebus comestam, nullis non tormentis ac mulctis excarnificant atque exugunt.* Ex Hyperio hanc annotationem ad hæc verba adfert: *Vt hæc ratio dicta sit potissimum ad firmiores, qui Evangelicam suam libertatem Christi virtute partam videbantur ostentare in vsu ciborum & similibus, tamen peræque referri potest ad infirmiores, qui in hoc graviter errabant, quod ad leuicula essent nimium oculati, alios propter cibum & potus*



tum (quasi in his carnalibus rebus situm esset Euangelium) condemnantes, ad excellentiora autem bona animum minus intenderent. Tandem ex Melanchthone adfert: Hæc doctrina magnopere necessaria est in Ecclesijs, vt sciamus opera sine mandato Dei excogitata non esse cultus Dei, sed reuocentur animi ad opera diuinitus mandata. Hi igitur omnes nobiles Protestantes his Apostoli verbis abuti voluerunt ad doctrinam Catholicam sugillandam circa discrimina ciborum in ieiunijs Catholicis obseruari solita, quasi Paulus docuisset huiusmodi obseruationem ad Dei cultum aut religionis vsum nihil facere, sed omnem ciborum vsum rem esse indifferentem & in mera Christianorum libertate positam; nec regnum Dei, id est, causam salutis nostræ, ex aliqua ciborum vel abstinentia promoueri, vel sumptione impediri; sed solam internam à Deo iustitiam requiri. Sic & vniuersam huius capituli disputationem ad ieiuniorum Ecclesiasticorum ritus subsannandos detorquent. Cæterum Apostolum non de ieiunijs Christianorum, sed de cibis vetitis Iudæorum in toto hoc capite disputare, per se clarum est. Ex illa autem disputatione simile de ieiunijs Christianorum inferre absurdissimum est: Primum, quia Christi Euangelio promulgato, illa Iudæorum obseruantia non erat amplius sub præcepto: nostra ieiunia ab Ecclesia iusta autoritate præcipiuntur. Secundo: illa  
Iudaica

Delectus  
ciborum in  
ieiunijs  
Ecclesiast.  
deseruitur

1.

2.



Iudaica quorundā ciborū abstinētia ceremonialis tantum erat, & ad significationē tantum instituta, quæ Iudæos obligabat tanquā ceremonia, non tanquā castigationis corporalis mediū. Nam (verbi gratia) bouina caro illis permessa, æquē bene corpus impinguabat quā caro porcina illis vetita: nostra ieiunia ad castigationē & macerationē corporis ex

3. professo instituūtur. Tertiò: Iudaica illa abstinētia perpetua fuit tanquā à cibis immūdis, nō ex natura ciborū, vt Manichæi delirabāt, sed ex rationē prohibētis Dei: ieiunia Christianorū à nullis cibis perpetuò abstinēt, sed certis tantum diebus. Deniq; Iudaica obseruatio nullam patiebatur dispensationem, sed irrefragabiliter obligabat: in ieiunijs Ecclesiasticis, sanitatis vel alicuius necessitatis causa, facile dispensatur. Tam varium est inter vtramque obseruationem discrimen.

Cap. 33. Lege Augustinum de moribus Ecclesie. Ad verba Pauli quod attinet, *Eſca & potus*, id est, libertas illa firmiter Christianorum, qua vetitos à lege cibos comedebant, non sic ad regnum Dei pertinebat, id est, non erat res ita salutaria & Christiano homini necessaria, vt propter illam libertatem obseruandam scandalum præbere deberent infirmo adhuc Iudæo conuerso, qui necdum tam citò legales obseruationes abijcere potuit. At ieiunia Christiana sic sanè ad regnum Dei pertinet, & ad salutem valent, vt propter hæreticos.



ea violare volentes, violari à Catholicis nõ  
 debeant. Manducantes enim hæretici, non  
 ex libertate & firmitate Christiana, sed ex  
 licetia & audacia hæretica id faciunt: & abs-  
 tinentes Catholici non ex infirmitate &  
 scrupulo Mosaicæ legis obseruandæ, sed ex  
 pietate & studio Ecclesiasticæ legis exeque-  
 dæ, & maximè ad corporis castigationem,  
 Deiq̃ue cultum, abstinent. Aduertere po-  
 tius hæretici debuerunt quod Apostolus po-  
 stea dicit, *Malum est homini qui per offendiculum  
 manducat.* Quod illi faciunt, qui maximè  
 diebus ab Ecclesia veritis, & maximè in con-  
 spectu Catholicorum, carnes vorant. Et si  
 enim vera esset illis libertas & facultas ita  
 comedendi, solaq̃ue esset in Catholicis ad  
 non comedendum infirma scrupulositas: ta-  
 men hîc ab Apostolo condénantur, qui sic cū  
 aliorum offendiculo manducant: & nihilo-  
 minus huius cap. doctrinam pro sua non  
 ieiunandi licentia valere hodie hæretici vo-  
 lunt. Sic illi videlicet Paulum intelligunt.  
 Quòd si ieiunia ad Dei cultum non face-  
 rent, nec Christus 40. diebus ieiunasset, Matth. 4.  
 nec sublato sponso à nobis ieiunandum esse Matth. 15.  
 prædiceret, nec legitimum ieiunandi mo- Matth. 5.  
 dum docuisset, nec denique Anna prophe- Luc. 2.  
 tissa Deo ieiunijs seruijsse in Euâgelio dice-  
 retur. Vide Promptuar. Cath. Domin. infra  
 Natalem Domini, & Domin. 1. Quadrage-  
 simæ; & Antidota nostra ad loca prædicta.

Ecc CAP.